



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Annvs Diervm Illvstrivm Societatis Iesv. siue in Anni dies  
digestæ Mortes Illvstres Eorum qui ex eadem Soc. Iesu, in  
odium fidei, pietatis, &c. ... confecti sunt**

**Nádasi, János**

**Romæ, 1657**

P. Robertus Southuuellus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44029**

re diuina hostia, visa est pa- *Euchar.*  
lâm cruento circulo circum-  
dari; & super sacrificalem  
mappulam deposita, illam  
etiam sanguine cruentauit.  
Ad hæc, plures Indi id à se  
oculis ipsis conspectum af-  
firmauère, quòd è pectore,  
seu ore, morientis P. Basilij *Mors.*  
pulcherrimus infans, comi-  
tibus duobus alijs alatis par- *Angeli.*  
uulis, in cælum ferri sit vi-  
sus, postea in alto ex oculis  
euanelcens.

*P. Robertus Southuellus.*

Societatem idcirco desi- *Anglus.*  
derabat, vt in ea tres, vt ip- *Londini*  
se aiebat, Virginis, Doctõris, *3. Martij*  
Martyris laureolas conse- *1595.*  
queretur; eapropter deside-  
rio magno Indias quoque  
complexus: Candidè ali- *Vocatio.*  
quando affirmauit, nihil se à  
Deo votis irritis petijisse. *Oratio.*

In.

In Anglia per sex annos in Euangelij laboribus, per tres alios in carceris ærumnis vixit, vtrunque Apostolus; & calamo, comitate, linguâ, virtute amabilis. Obstupere hæretici eius in diris tormentis tam forte silentium, cum tentus fuisset, quia Sacerdos Catholicus. Plus quàm decimò equuleū sustinuit, serenus tamen semper ac sibi constans. Vnde à custodiæ Præfecto Sancti nomen tulit. Solemne illi fuit dicere: *Deus meus, & omnia! Deus se tibi; tu te Deo.* Particularis examinis nunquam obliuiscébatur, punctis acu notatis; & alijs quoque arte illud exequendi scitè instructis. Mortis acceptâ sententiâ, cum suam pro illo iuuando operam

of-

*Patientia.**Fides.**Oratio.**Examen  
partic.*

offerrent concionales ministri hæretici, detrectavit; & lætus ad mortem raptatus est, cum Christum allocutus diceret se honore tanto esse indignum. Iam moriturum, interpellabat adhuc hæreticus clamator, seu minister; at Robertus nullo eum alio verbo dignatus est, quàm *se Catholicum moriturum*. Posteaquam suspensus, deiectus, & carnificatus est, aiunt illius cor subsultare visum inter manus carnificis, è pectore iam euulsum. Quàm dira tormenta sit perpeffus, vel ex eo conijci potest, quòd, ob inhumanam illam scuitiam, Toplifus quæstionibus tormentisque illis præfectus, in custodiam sit coniectus.

Fides ..

Cor ..

P. Ioan-